

Cap. VI. S. Mainulfus proponit condere
Monasterium.

Sed nos ad planum narrationis ordinem redeamus: ne dum imperiti laudamus, tanti viri laudes culpâ ingenij deteramus. Nam si quem dignis laudibus nequeas extollere, hunc laudas pulcrius, si te imparem fatearis laudibus ejus. Beatus igitur *Mainulfus*, cum omnem virtutem, quam potestate habuit, actu etiam adipisci studuerit, certus jam de Domini sui fide erga se, erubuit fidelis servus fidelissimo Domino se solû offerre: quocirca miro ardebat desiderio monasterium construendi, sed id ardentem tardavit mora locum aptum inveniendi: quatenus divina pietas illud constructû tanto majori pretio examinaret, quanto servus ejus pro construendo constantius laboraret.

Cap. VII. Pastoris visio, ejusq; interpretatio.

Cum autem Dominus jam vellet servo laboranti parcere, dignatus est ei suæ prædestinationis locum ostendere. Namque subulcus ejus, dum more solito in pascendis moraretur gregibus: ecce, improvise miræ lucis splendorem aspexit, in loco ubi nunc idem Monasterium Deo auctore consistit. Vidit præterea copiosam cervarum multitudinem, modò stare, modò circuire locum eundem. O ineffabilem Christi pietatem! quæ dum servi sui honorem distulit, nativitatæ suæ miraculum suscitavit. Namq; ut illa primùm revelata est pastoribus, sic hujus construendi monasterij visio pastori innotuit primitus. Hinc patet, quàm dilectus Deo iste fuerit, cujus se-